

**1995**  
**A**

**5463**







Inhaltsverzeichnis:

I.

SYNOPSEOS VNIVERSAE ERVDITIONIS IN VSVM SCHOLARVM CONCINNANDE SPECIMEN.

Einladungsschrift zur Redeübung des Quedlinburger Gymnasiums zum 8. Mai 1783 von dem Rektor Johann Heinrich Friedrich Meineke.

II.

Nachricht von der auf höchste Befehl unternommenen verbeßerten Einrichtung des hiesigen Gymnasiums dem Publikum

mitgetheilt von der Fürstlichen Schul-Inspection.

Quedlinburg 1790.

III.

Feyer des neunzehnten Jahrhunderts auf dem fürstlichen Gymnasium zu Quedlinburg am 2ten Januar 1801

II

Stellung für das vorliegende  
dieser neunzehnten Inspektion  
ein sehr gaudiorum ist  
auf die mehr amüsante



mitgetheilt von der Forst-  
lichen Schul-Inspektion.

Gecklingen 1790.

reyer von Wittenberg und  
Wernigerode und den Forstleuten  
Dorfmeister und Landvogt der

Forstschule 1791.

SYNOPSEOS  
VNIVERSAE  
ERUDITIONIS  
IN VSVM SCHOLARVM  
CONCINNANDAE

SPECIMEN

*Berlin.*

ORATIVNCVLIS ET DIÀLOGIS  
IN ILLVSTRI GYMNASIO  
QVEDLINBURGENSI

A. D. VIII. MAIICIO ID CCLXXXIII  
HORA II. POMERIDIANA

HABENDIS  
AVDIENTIAM FACTVRVS

SCRIPSIT

JOANNES HENRICVS FRIDERICVS  
M. E. I. N. E. K. E.  
ILLVSTRIS QVEDLEI RECTOR  
ET SOCIETATI NATVRAE CVRIGSORVM  
BEROLINENSI HONORES CAVSSA  
ADSCRIPTVS.

QVEDLINBURGI

LITTERIS I. C. LEVI.

1783



95A5463

AK



# PRAEFATIO DE VSV ET CONSILIO LIBELLI.

**T**ametsi ego non is sum, qui iuuenum mentes ea litterarum, et solidioris doctrinae scientia, putet esse imbuedas prius, quam praeparatae sunt reliquis artibus, et satis munitae disciplinis, quibus ad eruditionis penetralia ardua quasi via sternitur; eamque ipsam ob caussam non possum probare rationem magistrorum in scholis, qui id tempus, quod vnicce cum veterum auctorum lectione, tum mathematicis, histori-

\* 2.

cis-

cisque institutionibus consumendum  
esset, praelectionibus terunt meta-  
physicis, physicis, politicis, aliis-  
que rebus interioris doctrinae, qui-  
bus cognoscendis nec dum vires va-  
leant: tamen neque eorum mihi pla-  
cket ratio, qui ita in Academias dis-  
cipulos dimittunt suos, ut neque  
ante et quae, et quanta, et quam  
digna sit hominum studio eruditio,  
neque eius partes, et singularum dis-  
ciplinarum naturam, indelem, ne-  
xum et utilitatem ad promouenda  
humani generis commoda volupta-  
temque perspexerint. Licet enim  
e scholis euadere neque ipsi possint  
debeantque Philosophi, Physici, Me-  
dici, Iureconsulti, Theologi: plu-  
rimum tamen interest eorum, quae  
fit harum disciplinarum indoles,  
quae formae, ambitus, usus, qui  
viri in quacunque summam ingenii  
et assiduitatis laudem sint consecuti,  
et quos habeat quaeque praestantissi-  
mos libros, ante cognouisse, quam  
ad ipsas discendant academias, ubi has  
res omnes accuratius edocendi sunt.

Mul-

Multum praeterea, imo plurimum mihi conferre videtur ista ratio, partim ad excitanda eorum et ingenia et studia, queis meliore luto fixit, *praecordia Titan*, cum de singularium disciplinarum nonsolum natura et partibus, sed quod caput est in hac re, vsu ac praestantia rectius iudicare didicerint; partim ad deterrendos et reuocandos eos a litterarum studio, quibus minus prosperum emersit nascentibus fidus, ne scilicet temere ingrediantur iter, cuius vix primam mansionem valeant assequi. Sunt enim qui coeco quasi impetu, inuitaque, ut aiunt, Minerua, ad litterarum studia ferantur, quos expedit auertere, ut, si qui minus valentes longum et periculosum iter inire cupiant, deterrire solemus, enumeratis omnibus itineris et viarum et tempestatis difficultatibus. Tantum enim abest ut euadant docti, ut potius verendum sit, ne viuant aliquando suo Musarumque dedecori, et magno sint familiae iuxta atque rei publicae

modo. Variae sunt bene et honeste  
viuendi rationes, varia negotia, ad  
quae persequenda neque splendi-  
diore ingenio, neque ampla solidi-  
que doctrina, neque adeo semido-  
cta garrulitate opus est. Ad horum  
quoduis sepe applicent potius quam  
ad litteras, naturamque, quod mo-  
net Cicero, sequantur ducem.

Saepius igitur mihi, quoniam  
id pacto commodissima ratione fieri  
possit, cogitanti, ut iuuenes ex edi-  
to quasi loco in omnem litterarum  
et artium, quae hodie excoli et com-  
mendari solent, despiciant, quam  
late pateat, campum, cum nec  
SVLZERI, aureus ceteroquin libel-  
lus\*) sufficiens ad omnia persequen-  
da, nec MERTENSII, Rectoris  
Augu-

\*) Kurzer Begriff aller Wissenschaften  
und anderer Theile der Gelehrsamkeit  
Frankf. und Leipz. oft aufgelegt.

Augustani, nuper editus liber \*) ad usum scholarum satis idoneus, aliquique cum nimis cari, tum nec scripti videantur adolescentibus: venit in mentem omnem eruditionis, ut nunc est, campum una quasi mappa geographicā describere, definitis cuiuscunque partis et disciplinae (nullam enim in tali opere praetermittendam esse arbitratus sum,) iusta regione, finibus et statu.\*\*) )

En tibi, beneuole lector, scigraphiam amplioris aliquando edendi voluminis, quam non sine timoris aliquo sensu in publicum prodire iubebam. Cum enim primum animum ad scribendum appellerem, haud adeo

\* 4

adeo

\*) *Hodegetischer Entwurf einer vollständigen Geschichte der Gelehrsamkeit u. s. w.*  
Augsb. 1780. 2. Bände in 8.

\*\*) Idem mihi consilium esse videtur eruditii, qui Erfurti edendam curat tabulis XVII.  
*la mappe monde litteraire,*

adeo difficilis mihi videbatur labor,  
post tot encyclopaediarum monita,  
tot eruditorum lucubrations, ADE-  
LVNGI praesertim, quo nemo feli-  
ciore successu hanc rem tractauit: \*)  
at vero longe me fecellit isthaec opi-  
nio. Reperiebam enim non modo  
recte habere, quod olim animad-  
uertit CICERO: *omnes artes, quae*  
*ad humanitatem pertinent, habent*  
*quoddam commune vinculum, et quasi*  
*cognitione quadam inter se continen-*  
*tur;* verum etiam difficillimum esse,  
quod, qualeque sit hoc commune  
vinculum, qua incipiat, qua finia-  
tur parte, et quae sit eius ratio at-  
que nexus, definire velle. Non  
enim ut in catena annelli, ita singulae  
disciplinae una pendent ab  
altera, sed alternae cohaerent, et  
continuo quasi nodo ita implicitae et  
inter se contortae conspiciuntur, ut  
primo

\*) In libro: *Kürzer Begriff aller menschli-  
chen Fertigkeiten und Kenntnisse u. s. w.*  
in 4 Theilen Leipzig 1778 — 81. 4 Bände 8.

primo adspectu in partes iustas rectasque resolui vix ac ne vix quidem posse videantur. Reperiebam multos, qui, cum soluere posse desperarent, Alexandri gladio uterentur, atque ita omnem nodum dissecarent, ut nullum relinquetur integrum ligamen, sed totum in multa quasi segmenta incondite et promiscue dilaberetur. Reperiebam alios in condendo disciplinarum uno eodemque systemate modo ad argumentum spectasse, *objecrum* dicunt philosophi, modo ad auxilium, quod una disciplinarum praestat alteri. Hinc factum est, ut *Archaeologia* quae, si argumentum spectas, historica est, ad philologicas reiecta sunt disciplinas, quoniam huic prae ceteris inseruiat. Verum ista ratio, dicam ut sentio, ita mihi peruersa videtur, ut, si quis militum tribunus vni eademque peditum centuriae equites miscere velit, velitesque leuis armaturae, quod hi illis

\* 5 sub-

subinde sint in repellendis hostibus auxilio. Reperiebam denique alias a reēta veri inueniendi via aberasse propterea, quod animum ad varias significationes nominum, quibus inter se distingui solent eruditionis partes, non satis aduerterent. Modo enim latiore, modo strictiore sensu adhibentur, quo sit, ut vnius disciplinae varius esse possit in eruditionis, ut ita dicam, agmine et locus et ordo. Exemplo vtar. Historia quam naturalem dicunt, cum ad Physicam, tum ad ipsam Historiam referri potest, prouti latior angustiorue sensus est, quo definiantur Historiae vocabulum.

Has igitur primarias animaduer-  
tebam esse caussas quae difficultius  
redderent redigendi in certas classes  
atque ordines quicquid hodie est  
litterarum et disciplinarum, stu-  
dium. Ego solum spectabam disci-  
plinae argumentum. Verum ita fa-  
ctum

Etum est, ut alias eruditionis partes et formas longe alio cogerer collare in ordine et loco, atque a plerisque solent reponi. Noua haec quidem videbitur ratio, nec placitura forsitan iis, quibus haud facile noua probantur; sed iuuenum ingenii, (his enim solis conscripsi libellum) mihi quidem esse videbatur conuenientissima. Quod si licet mihi ita esse beato, ut non plane inutilis videatur hic meus labor, tironibus praesertim dimittendis in Academias, aliud, si Deo placet, et si quid mihi horarum subsecuuarum dabitur, conscribam, nostro idiomate, volumen, in quo non solum omnia latius explicita SVLZERIANA methodo, verum etiam in fine cuiuscunque vel capitinis vel paragraphi additi erunt librorum, non omnium, sed vnius alteriusue in qua cunque disciplina praestantissimorum tituli, eorum potissimum, e quibus vberiorem omnis litteratu-

rae

rae notitiam tirones haurire possint,  
cuius rationis in hoc specimine  
exemplum dedi. Tum vero exop-  
tandum esset mihi, vt tales vbique  
ostendere possem dissentibus riuu-  
los, quales aperuerunt in littera-  
tura Theologiae, NOESSELT<sup>V</sup>S, \*)  
Iurisprudentiae SCHOTT<sup>V</sup>S, \*\*)  
Philosophiae HISMANN<sup>V</sup>S; \*\*\*)  
sufficiunt enim, neque fontibus in-  
digere videntur tirones, in scho-  
lis pariter atque in Academiis, be-  
nigniore vena manantibus.

Non

\*) *Anweisung zur Kenntniß der besten allgemeinen Bücher in allen Theilen der Theologie.* Leipzig 1781. 2te Aufl.

\*\*) *Juristische Encyclopädie und Methodologie.* Leipzig 1781. 3te Aufl.

\*\*\*) *Anleitung zur Kenntniß der ausserlesenen Litteratur in allen Theilen der Philosophie.* Göttingen und Lemgo 1778.

Non fuit mihi in elaboranda  
hacce opella propositum, quod  
cuius facile apparebit, ut ipsa dis-  
ciplinarum elementa docerem; ex-  
stant enim encyclopaediae satis mul-  
tae, minores, accommodataeque ad  
vsus tironum. Historiam adeo dis-  
ciplinarum fere intactam reliqui;  
sufficiunt enim quae **SVLZERV**s ex  
ea adnotauit in libro supra laudato,  
quo libro plerique praceptores in  
scholis vtuntur, et quem invilem  
reddere in animum nunquam in-  
duxi. Id enim solum spectabam,  
primum, vt omnia eruditionis ca-  
pitā naturali quodam ordine et  
nexu inter se disposita compare-  
rent; deinde vt de singularum di-  
sciplinarum argumento, vsu et prae-  
stantia, ita vt hoc fieri potuit bre-  
vissime, tirones edocerentur.

Quadruplicem mihi persuade-  
bam talis libelli fore dotem. Pri-  
mo,

mo, ut non solum externam eruditio-  
nis faciem, verum etiam interio-  
rum tanti aedificii secretorum et cu-  
biculorum constructiones oculis  
quasi metari adolescentes possent,  
ut ne promiscue, quod multi faci-  
unt, modo ad has, modo ad illas ar-  
tes incumbant, atque illi adeo sese  
prorsus addicant inscientia, ad  
quam vel minime nati videantur.  
Hoc enim modo verendum non est,  
ne in labyrintho vagentur, sed po-  
tius eam sibi excolendam sumant  
eruditionis partem, aut, si vti licet  
allegoria, id occupandum maturent  
in humanitatis templo facellum,  
quo maxime se detineri sentiant.  
Deinde eum sperabam ex hoc labo-  
re meo fructum, ut rectius de li-  
bris, eorumque argumento, cognito  
titulo, aut si hic fallit, (quem hodie  
peruerissimum morem, vereque  
barbarum, reclamante omni Rhei-  
torica, multi sequuntur) perlectis  
capitum atque rerum indicibus, iu-  
dicare

dicare possint iuuenes, statimque  
definire, quam tractet auctor ma-  
teriam, et in qua disciplinarum for-  
ma et parte versetur. Tertius mihi  
esse videbatur fructus hic, vt, cum  
tot propriis et technicis nomini-  
bus vti soleant eruditii, quibus ar-  
tium et disciplinarum partes inter-  
se distinguantur: hic meus libel-  
lus eorum instar catalogi esset,  
aut repertorii, ex quo depromant,  
si qua harum rerum deficiat notitia.  
Noueram enim adolescentes, an-  
num amplius in academiis versatos,  
qui, quid sit Diplomatica, Pa-  
laeographia, Technologia, Teleo-  
logia cet. libere se nescire faterentur,  
quippe harum rerum in scholis sibi  
nulla data esset cognoscendarum co-  
pia. Hac ipsa etiam cauſsa latine  
conscripti libellum, vt adsueſcant  
tirones, et in hoc genere orationis,  
sermonis latini proprietate, quod  
arbitror fore, si praceptores, qui  
SVLZERI libro utuntur in scholis,

hoc

TMI.3

hoc meum vna adhibere velint. Postremo, nisi mihi forte nimis applaudebam, perutilem fore putabam meum libellum bibliothecariis, et bibliothecas in ordinem redigere cūpientibus, quemadmodum LINNEI systema naturae iuuat eos, qui rerum naturalium collectionibus praefecti, nequeunt mixta pati petrefacta plantis, petrefactis insecta et amphibia. Quid! si quis hunc meum ordinem secutus, et biblioteca satis ampla instructus, historiam litterariam aggrediatur conscribere? — Sed videor mihi videre clamitantes: quis tu es homo, qui te ducem fore putas acutius cernentibus? Iudicent igitur harum rerum periti, meaeque caussae fauentes.

Scribebam Quedlinburgi pridie  
Id. Apr. cōcōcclxxxiii.

---

CAPVT



CAPVT PRIMVM  
DE  
E R V D I T I O N E  
QVAEDAM  
G E N E R A L I A.

§. I.

**E**ruditio rerum omnium diuinarum  
humanarumque, quae faciunt ad  
bene beataeque viuendum solidam est  
et systematica cognitio. Indoles igitur et vis  
eruditonis sola nititur cognitione, eaque  
cognitio primum esse debet solidam, h. e. notionibus  
quibusdam certis et communibus  
superstructa, e quibus intelligi et demon-  
strari potest eius veritas. Deinde esse debet  
systematica, h. e. ita acquisita, prouti nexus  
rerum et ordo poscit iudicandi. Hanc soli-  
dam

A

dam et systematicam cognitionem graeco vocabulo *theoriam* vocant, et recte distinguunt a *praxi*, quae usu continetur et exercitatione. Omnis igitur res quae *theoretice* cognosci potest, imperio eruditionis subiecta est.

## §. II.

Latissime igitur patet eruditionis campus, tantaque gaudet partium et formarum varietate, quanta est rerum, quae ad utilitatem voluptatemque generis humani pertinent, copia. Omnia pertentat, orbem metitur terrarum, peregrinatur in astrorum regionibus, et abditissima ubique scrutatur naturae mysteria. Tum se demittit adeo ad aleam ludosque, eaque omnia persequitur, quae non omnino indigna sunt hominum et moribus et ingenii.

## §. III.

SVLZERVs octo constituit classes, in quibus reponi posse putat, quidquid est eruditae cognitionis. 1) Philologiam. 2) Historiam. 3) Artes. 4) Mathesin. 5) Physicam. 6) Philosophiam. 7) Iurisprudentiam. 8) Theologiam. Vereor ut sufficient, et ut omnia, quae hodie tractantur subtiliter, vere recteque ad unam alteramue harum classium reuiciantur. Equidem

dem dubito, an *oeconomiae publicae et dirigen-  
dæ mercaturaæ scientiam* recte ad *artes  
mechanicas* retulerit \*).

Alia via pergit **ADELVNGVS**, in libro supra laudato. Ad natales quasi redit omnis humanae cognitionis, et vniuersae eruditionis partes ita disponit felicissime, ut maxime homines, primo de quaerendis rebus necessariis, tum de comparandis iis quae voluptati inseruiunt, deinde de cognoscendo et iudicando vero, postremo denique de constituendis et regundis ciuitatibus esse solent folliciti. Prima igitur parte libri de *Technologia*, secunda de *artibus elegantioribus*, tertia de *disciplinis contemplantibus*, quarta agit de *Politica*, siue regendæ ciuitatis scientia. Dignus est, quem ipsum adeant harum rerum studiosi; omnia enim docte et eleganter persequitur.

#### §. IV.

Paullo alia mea est ratio, quam usus libelli et consilium requirere videbantur; neque vereor, licet horum virorum non infistam vestigiis, et in quibusdam aliter atque illi sentiam, ne videar de eorum auctoritate velle detrahere. Quatuor constitui ordines, qui omne genus eruditionis complectentur. Singulis ordinibus suas

A 2 attri-

\* ) p. 52.

attribui disciplinarum classes, iunctis his  
quae cognitionis aliquo vinculo contineban-  
tur. *Disciplina* autem mihi dicitur omnis  
eruditionis pars, cuius aliqua datur theoria.  
*Primi ordinis disciplinas propaedeumaticas*  
dixi, eoque nomine eas complector, qua-  
rum diffunditur usus in omnes reliquias, et  
quae fundamenta constituant, in quibus  
omnis vera et solida eruditio ita nititur, ut  
in iisdem apprime informatus esse debeat  
is, quicunque in reliquarum una excellere  
cupiat. *Secundus ordo* eas habet disciplinas,  
quae proxime tendunt ad promouenda vitas  
societatisque humanae felicitatem et com-  
moda. *Disciplinas viriles* dixi, neque  
vercor, ne ita denominasse videar, quod  
ceteras viris minus dignas existimarem, sed  
quod iuuenilis aetas prius ad has accedere  
nequeat, quam in propaedeumaticis satis  
fuerit versata, et quod haec proprius coniunctae  
sint cum muneribus publicis, quae  
viris demandari solent. *Tertius ordo* com-  
plectitur cum *disciplinas et artes elegan-*  
*tiores*, quae voluptatibus hominum et  
oblectamentis inseruiunt, tum id genus  
*ludorum*, quod non prorsus indignum est  
ingenio humano. Habent enim et hi ali-  
quid delectationis; sed hoc non oritur, ut  
in illis, e sensu pulchritudinis, sed ex aliqua  
gloriolae et dignitatis spe e certamine ar-  
tis

tis mentisque reportandae. Ad quartum denique ordinem id omne genus disciplinarum re eci, quae quidem videntur, nec sunt, cum earum quibus nondum iuuentae sunt rationes philosophicae, et de quarum nondum liquet utilitate et praestantia; tum earum, quae, licet olim excoletentur, vanae invilesque repertae, ideoque essectae sunt e republica litteraria, et quarum, si quid prodeesse adhuc potest, praeter historicam cognitionem nihil est. *Disciplinas dixi spurias.*

## §. V.

Omne igitur eruditionis agmen hoc fere procedet ordine :

I. *Disciplinae propaedeumaticae*, ad quos pertinent

- 1) *Philosophia pura*, quae quid sit infra docebitur,
- 2) *Philologia*,
- 3) *Historia*,
- 4) *Matthesis pura*.

II. *Disciplinae viriles*, quarum triplex est genus.

A 3

A.

A. *Vnum spectat felicitatem et commoda generis humani externa.* Huc refero

- 1) *Mathefin applicatam,*
- 2) *Physicam, sensu latissimo, cuius pars est Medicina,*
- 3) *Technologiam.*

B. Alterum pertinet ad felicitatem magis internam humanae societatis. In hac classe reponendi videntur

- 1) *Iurisprudentia, et*
- 2) *Theologia.*

C. Tertium genus spectat media promovendae felicitatis humani generis tam externae, quam internae. Huc pertinent

- 1) *Paedagogice,*
- 2) *Politice sc. regendae ciuitatis scientia.*

### III. Tertio ordine subsequuntur

A. *Disciplinae et artes elegantiores.*

- 1) *Disciplinae elegantiores propriæ sic dictæ,*
- 2) *Artes elegantiores.*

B. *Ludi liberales, qualis est scachicus, cuius nuper HELWIGIVS theoriam dedit emendatiorem.*

### IV.

IV. *Disciplinae spuriae* agmen claudunt,

- 1) *Physiognomia, Chiromantia* cet.
- 2) *Astrologia,*
- 3) *Artes magicae.* \*)

\*) Libri in quibus omnia cum vniuersae eruditionis tum singularum disciplinarum capita explicantur dicuntur *Encyclopaediae*, easque et maiores habemus, ordine alphabetico conscriptas, et minores, in quibus ordinem sequuntur disciplinarum. Horum librorum notitiam sibi comparare tirones possunt e M. DENIS Einleitung in die Bücherkunde Wien 1778, parte II. p. 423. HISMANNI supra laudato libro: Anleitung zur Kenntniss der auserlesenen Litteratur in allen Theilen der Philosophie, p. 124. et imprimis e MEVSELII bibliotheca historica, cuius primae partis primum volumen nuper prodiit Lipsiae 1782, p. 259. sq.

---



## CAPVT SECUNDVM

DE

DISCIPLINIS  
PROPAEDEVMATICIS.

## SECTIO I.

DE

## PHILOSOPHIA.

## §. VI.

Primum locum in disciplinis propaedeumaticis iure quodam obtinet suo *Philosophia*, quoniam vim suam exserit super omnes reliquas disciplinas, et diuina quasi auctoritate in omni eruditionis imperio regnat. Cuius vt recte percipiatur vna et verissima notio, ita maxime tironum interest, vt omnium est impeditissima. Nam adeo vage usurpatur, vt mirum non sit, tot fere dari Philosophiae definitiones, quod scripta sunt systemata et compendia. Notandum igitur est: triplex esse omnis humanae cognitionis genus. Primo enim quae esse, fieri, aut facta esse cognoscimus, ea dicimus historice cognoscere. Sed earum rerum, quae sunt et fiunt, requiri etiam secundo potest, cur sint, fiantque ratio.

Iam

Iam qui non modo esse res, fierique, aut factas esse nouit, sed etiam quamobrem quaeque, et qua ratione fiat, aut sit, intelligit, et aliis subtiliter explicare potest, huic philosophica rerum cognitio tribuitur. Tertium quod in rebus cognoscitur est *quantitas*, eaque cognitio dicitur *mathematica*. Quidquid igitur est vel historicae tantum cognitionis, vel ad solam quantitatem pertinet, id Philosophiae tribuere nefas putamus. Displacet igitur eorum ratio, qui non modo Logicam et Metaphysicam, verum etiam omnem Physicam, Medicinam, Mathefin omnem, aliasque disciplinas complures philosophicas esse dicitant. Cum vero in omni disciplinarum genere ad causas et rationes recurri et possit et debeat: nulla fere est disciplina, adeoque ipsa *Mathesis*, quae non habeat partem philosophicam, et tractari possit philosophice, licet ipsa non sit pars Philosophiae. Ex hac potissimum neglecta distinctione ortae mihi esse videntur plurimae in disponendis eruditioinis partibus difficultates.

### §. VII.

Nos igitur, quidquid est in cognitione humana mere historicum, omnemque quantitatis notionem empiricam excludentes, *Philosophiam* definire conamur: *complexum notionum primarum et communium*,

A 5

qui-

*quibus cur aliquid fiat et fieri possit, recte solideque intelligatur; Philosophumque salutamus eum, qui scit primas rerum notiones experiendo meditandoque assequi, iisque ita uti, ut explicare possit verum caussas et rationes. Istorum vero notionum primarum et communium, quas anquirit Philosophus ad explicandas rerum caussas duo mihi videntur esse genera, unum commune omnium doctrinae partium et disciplinarum, alterum singularum, ita, ut quasi gradu differat harum notionum vniuersitas. Hoc genus *Philosophiam applicatam* libuit dicere, eodem fere sensu, quo Mathesin applicatam dixere; eaque nobis continere videtur notiones eas communes, e quibus intelligi potest singularum disciplinarum causla, ratio et veritas; illud, *Philosophiam puram*, quae notiones maxime vniuersas complectatur, et ita, fons sit Philosophiae applicatae, ut mens humana ab eadem prouocare, ut ita dicam, nequeat amplius,*

### §. VIII.

Aliter olim partiti sunt *Philosophiam in theoreticam*, quae contineret, cum de mentis humanae facultatibus dogmata, tum omnem Metaphysicam; et in *practicam*, quae exponeret de animi humani voluntate eiusque affectibus. Recte quidem,  
Nobis

Nobis hoc loco non satis commoda videbatur, pro nostra disponendi ratione, partitio.<sup>\*)</sup> Ne vero lateat iuuenes, noluimus de ea prorsus tacere. Nos nostram secuti rationem primo loco dicemus de *Philosophia pura* ita, vt, nisi omnibus probata fuerit, nemini tamen obscura manere possit nostra sententia.

## §. IX.

I. *Philosophia pura* complectitur

1) *Psychologiam*, quam recte *Federus v. c.* seiunxit a *Metaphysica*, cum de iis agat, quae de animae humanae natura, *a posteriori*, vt aiunt, siue per experientiam cognosci possunt. *Psychologiae* munus est primo demonstrare, esse animas, easque alias a corporibus, sed intime coniunctas; deinde differere de animarum indole, natura et viribus, et quidem

2) de mente et intelligentia, quae pars *Psychologiae Logica* vocatur graeco vocabulo. Partes habet vnam *theoreticam*, quae agit in genere de facultatibus mentis humanae, de sensibus, phantasia, ratione, memoria, attentione, praescientia, de organis internis animae, ingeniorum diuersitate,

\*) Vid, quae infra ad §. L. adnotauimus.

sitate, de variis mentis actionibus earumque legibus. Explicat etiam somni, infaniae, entusiasmi, aliaque mentis phænomena, eaque omnia denique *præctica parte* docet, qua ratione ad usum inueniendi iudicandi que veri adhibenda sint. Singula praeterea *Logicae* capita singulis inter se distinxere propriis technicisque nominibus

- a) *Dialecticem* caput dixere; in quo agitur de ratiocinio et arte disputandi.
- b) *Heuristicen id*, quod exponit de veri inueniendi ratione.
- c) *Hermeneuticen*, quod agit de regulis interpretandi communibus.
- d) *Methodicen* s. *Methodologiam* caput dixere in quo exponuntur regulae docendi et proponendi.
- e) *Mnemonice* locum tractat de adhibendis memoriae subsidiis.
- b) de voluntate eiusque affectionibus, quam partem Psychologiae *Philosophiam practicam uniuersalem* dixerit. Agitur in ea de facultatibus animi appetendi, et auersandi; de voluptate et taedio, de eo quod bonum et malum est; de felicitate; de libertate; de animi commotionibus, laetitia, tristitia, amore, odio, miseratione, pudore, spe, timore et quae sunt reliqua; tum de habitatibus, habitibus inclinationibus cet. Vtraque haec

haec Philosophiae purae pars locos tractat longe grauissimos, in quibus omnis fere cognitionis humanae cardo vertitur; eamque ipsam ob caussam neque prorsus negligendam, neque obiter tractandam arbitror adolescentibus.

## §. X.

2) *Metaphysica* secunda pars est Philosophiae purae. Dici potest scientia eorum, quae in sensu non incurruunt; itaque continet summam earum notionum, ad quas non nisi a priori, ut aiunt, via datur. Partes agnoscit tres *Ontologiam*, *Pneumatologiam* et *Cosmologiam*, De *Theologia naturali* enim dubito, an in hoc Philosophiae purae loco reponam. Paucissima enim sunt, quae de Deo mens humana a priori valet cognoscere; cumque de his et in *Ontologia* et in *Pneumatologia* differatur: placuit *Theologiam naturalem* ad Philosophiam potius applicatam referre, quam ad puram, et cum reuelata arte coniungere. Nobis enim, qui reuelationis beneficio utimur, omnis *Theologia naturalis* nihil esse videtur aliud, nisi *Theologia* comparata. Nam qualis olim et quam manca fuerit *Theologia naturalis* sine reuelationis ope, e veterum Philosophorum scriptis apparet; neque eorum mihi prorsus displicet sententia, qui

qui omnem numinis sensum, qui certatur in hominibus maxime barbaris, non tam e rationis vsu, quam e vestigiis primae et antiquissimae reuelationis deducendam esse iudicant. Sed de his in sequentibus plura. Videamus de partibus Metaphysicae.

- a) *Ontologiae*, quam etiam *Philosophiam primam* dicunt, argumentum versatur in disquisitionibus de rerum elementis, de substantiis, de ente primo et necessario, et de iis, quae cum his coniuncta sunt, spatio, tempore, motu, cet.
- b) *Pneumatologia* exponit cum de natura spirituum in genere, tum significatim de spiritu infinito perfectissimo; de anima humana tantum, quantum eius natura a priori cognosci potest, et de animabus brutorum. Eam partem *Pneumatologiae*, quae a priori de natura animae humanae differit *Psychologiam* dixerat *rationalem*, seu *metaphysicam*, ut a *psychologia empirica* seu *Logica* distingueretur.
- c) *Cosmologia*. Versatur disciplina in explicanda notione generali mundi. Itaque differit cum de nexu omnium rerum visibilium et inuisibilium, quo mundum unum constituant, tum super locis de fato, casu, libertate animalium;

morum; de euentibus naturalibus et miraculosis, de modo quo inter se conspirat corpus et anima. Recenset praeterea leges naturae, et affectiones mundi, quem iudicat optimum et perfectissimum esse debere.

## §. XI.

II. *Philosophia applicata* reliqua complectitur, quae e notionibus maxime vniuersis et communibus psychologicis iuxta atque metaphysicis sequuntur, et quasi basin constituunt et fundamenta singularium disciplinarum, quae quidem ipsae Philosophiae partes et formae dici non possunt. Nulla enim est sine Philosophia solida et systematica cognitio. Ea suppeditat omnium disciplinarum prima capita, et ea principia, e quibus id quod in iisdem verum, et cur verum est, vnicce intelligatur. Itaque Philosophiae applicatae partes ab ipsis illis disciplinis, quibuscum arctius coniunctae sunt, haud esse separandas iudicauit. Accedit hoc, quod, si quis haec omnia, quae mihi Philosophiae applicatae nomine continentur, vna cum Philosophia pura, theoretica practicaue, docere velit, fieri non posse, quin multa intacta relinquantur. Vix enim iuuenilis aetas sufficiat, ad haec modo cursim delibanda, quae vna Psycholo-

chologia contineat. Itaque non vereor, ne videar magnopere reprehendendus, cum, quod alii in Mathesi fecere, idem in Philosophia fecerim. Vna nimirum haec mihi visa fuit, et commodissima ratio, quae sit vera Philosophiae notio docendi iuuenes. Partes igitur constituit possunt quot sunt disciplinae, quibus excolendis opus est ratione et ingenio. Est enim

- 1) *Philosophia Philologiae s. linguarum.*
- 2) *Philosophia Historiae.*
- 3) *Philosophia Matheseos.*
- 4) *Physices vna pars est historica, altera philosophica.*
- 5) *Super technis s. artibus mechanicis multa existant docte philosophumena.*
- 6) *Philosophia iuris positivi ius naturae dicitur.*
- 7) *Theologia naturalis; Ethica philosophica, Hermeneutica et omnis fere Theologia methodica Philosophia dici possunt Theologiae*
- 8) *Paedagogicen et Politicen adeo ipsas dixerit disciplinas philosophicas. Certe maior earum re vera est, et tractantur omnino philosophice.*
- 9) *Disciplinarum et artium elegantiorum philosophia est Aesthetica.*
- 10) *Ludorum adeo esse potest, ut infra demonstrabo philosophia.*

II) Di-

II.) Disciplinarum vero quas *spurias* dixi, vel nondum reperta est philosophia, vel plane nulla.

De iis omnibus *Philosophiae applicatae* partibus, cum de disciplinis ipsis sigillatim exponemus, plura dicentur. \*)

\*) Qui nosse cupiunt optimos in omnibus *Philosophiae*, tam purae quam applicatae, partibus libros, euoluant HISMANNI Anleitung zur Kenntniß der auserl. Litteratur in allen Theilen der Philosophie. Recensent praeterea libros philosophicos, praeter *Bibliothecam vniuersalem Germanicam*, die *Bibliothek* der Philosophie und Litteratur Fr. a. d. Oder. 8. HENNINGII neue philosophische Bibliothek, Leipz. 8.

---



## CAPITIS SECUNDI

## SECTIO II.

## DE PHILOLOGIA.

## §. XII.

**S**equitur in disciplinis propaedeumaticis *Philologia*. Collocauimus in secundo loco, quod fieri non posse putaremus, quin fibi solidam aliquis comparare, vel vnius disciplinae, cognitionem possit, sine aliqua linguarum, veterum praesertim, peritia. At enim licet secundum locum post Philosophiam, cuius etiam in Philologia regnat auctoritas, obtineat: apparet tamen, pri-  
mum occupare debere discentibus, vt pote quibus philosophari non datum est prius, quam mens, linguarum studio, notionum copia instrueta, et instrumentis quasi phi-  
losophiae, ad recte de rebus iudicandum, munita est.

## §. XIII.

Nouimus quidem, quae fuerit olim *Philologiae* definitio; neque tamen dubitamus hoc loco ita latissime sumere vocabuli notionem, ut latissime distenditur lingua-  
rum in omne genus doctrinarum imperium. Scilicet est nobis *Philologia* omnis scientia  
linguarum, cum veterum, (emortuarum,  
*Philo-*

*Philologia proprie sic dicta*) tum recentiorum, quarum adhuc viget usus (*Linguistica*) earumque rerum, quae faciunt ad solide cognoscendam linguarum indolem et naturam,

## §. XIV.

In disponendis partibus *Philologiae* reveror, ut omni eruditorum collegio fatis superque probaturus sim meam sententiam: quippe nulla sit in iisdem *Antiquitatum* mentio, quae potius *Historiae* pars esse videtur; contra ea reuocatae sunt e comitatu *Historiae Diplomatica, Numismatica, Epigraphica et Hieroglyphica*, quae disciplinae patriam agnoscunt *Philologiam*. Cuius tamen noui instituti iustam mihi video in sequentibus rationem reddere posse.

## §. XV.

I. Una pars *Philologiae regulas* fistit *descendi*. Didicisse vero dicimur lingam, cum recte eandem scimus et loqui, et scribere.

II. Recte *loqui*, hoc est facultatem significandae mentis, et enunciendarum sententiarum ita, ut poscit natura et usus loquendi \*), docet *Grammatice*.

B 2

In

\* ) *Usus enim loquendi* summam exercet in omni lingua tyrannidem. Hunc sequitur *Analo-*

In voce non moramur, nec ampli esse volumus in explicando discriminē quod olim fecere inter *Grammaticen* et *Grammatistiken*, ad VOSSI<sup>I</sup> Aristarchum \*) relegantes harum rerum studiosos. Hoc tantum libet animaduertere: *Grammaticam philosophicam* dici tum, cum leges ipsius nituntur praeceptis omnium linguarum communibus \*\*). Ex quo apparet omnem bonam *Grammaticam* esse debere re ipsa philosophicam; licet non omnes ita sint conscriptae. Multi enim Grammatici proprias tantum explicant linguarum, quas tractant, leges, mente anticipantes communes illas philosophicas, quibus haenituntur. Partes Grammaticae commode discerni possunt sex,

a) Or-

*Analogia*, h. e. appārens quaedam in dicendi formulī similitudo; et cum neque haec sufficit; tum ad *Etymologiam* recurritur, et ex ea loquendi modus explicatur. Hac etiam tacente *Euphoniae* locus est. Vid. ADELVNGI teutsche Sprachlehre, egregius liber nuper editus, adolescentibus non satis commendandus.

\*) GERHARDI IOANNIS VOSSI<sup>I</sup> Aristarchus s. de arte grammatica libri VII. Ed. IIda. Amst. 1662. 4. p i. sq.

\*\*) Tales sunt SCIOPPI<sup>I</sup> Gramm. philos. Amst. 1664. 8. VOSSI<sup>I</sup> modo laudatus Aristarchus. BVFFIER Grammaire raisonné a Bruxelles 1711. aliae,

- a) *Orthoëpia s. Orthophonia*. Docet iustam litterarum, syllabarum et vocum enumerationem. Non contemnenda Grammaticae pars. Nondum enim liquet de recta pronunciatione linguarum emortuarum; neque adeo in multis litteris et vocibus recentiorum vigen-  
tium satis definiri etiamnum pouit, quae sit vera et vnica.
- b) *Prosodia* exponit de syllabarum quan-  
titate, tono et accentu. Inferuit ea Poëticæ, quippe metri ratio ab hac fere sola dependet.
- c) *Etymologia*. Amplissima et longe gra-  
vissima Grammaticae pars, cui et Orthoëpiam et Prosodiam subiectas ait *Adelungus*. Docet vocum origines, primisque eruit significaciones, eo con-  
silio, ut explicari possit earundem vo-  
cum, pro loci temporisque diuersitate,  
varia et subinde contraria vis atque  
potestas. Amplissima, inquam, haec  
est Grammaticae pars, neque in compendiis absoluenda, neque neglecta  
tamen a scriptoribus *lexicorum*, *etymo-  
logicorum*, *idioticorum*, *glossariorum*, *ono-  
masticorum*, cet.
- d) Diuersam ab hac parte Grammatices,  
primus, quod ego quidem noui, re-

Et iudicauit ADELVNGVS \*) Motionem, cuius munus est, cum voces ipsas, quas nudas recenset Etymologia, disponere in classes, v. c. nomina, verba, particulas; tum de flectendo per declinationem, comparationem, coniugationem, et de componendo praecipere.

- e) *Syntaxis*, quinta Grammaticae pars, vocabula docet ita inter se componere, ut efficiatur sensus planus, perspicuus, et aptus usui loquendi et analogiae. Penes utramque enim summa est, ut supra demonstrauimus, in rebus grammaticis potestas. Triplicem quidam haud satis accurate constituant *syntaxin*, *simplicem*, *figuratam* et *ornatam*. Solius enim simplicis praecepta ad Grammaticam pertinent; reliqua sibi vindicat Rhetorica.
- f) *Dialectologia* denique exponit de variis eandem linguam enuntiandi modis. Necessarium est dialectorum studium, graecam potissimum ebraicamque linguam discentibus, quippe quarum pronunciandi formae non aequem unius purioris atque elegantioris imperio

\*) In libro: kurzer Begriff aller menschl. Fertigk. und Kenntnisse, supra laudato. P. IV. p. 225.

perio subiectae fuerunt, atque latina  
et recentiores cultioris orbis linguae.  
Neque tamen et harum linguarum  
dialecti negligendae prorsus Philolo-  
go. \*)

## S. XVI.

- 2) *Recte scribere* linguam, hoc est componere verba litteris in materia ductis, recteque litterarum ducere formas, docet *Graphice* (die Schreibkunst.) Vocabulis enim et litteris aliis explicare solemus mentem nostram, vocabulis loquendo, litteris scribendo. Arctissimo igitur interesse continentur vinculo *Grammatice* et

## B 4 Graphi-

\*) Sufficere arbitror tironibus scriptores eos  
nosse Grammaticos quos ex omni fere lin-  
guia collegere MERTENSIVS in libro  
iam laudato : hodegetischer Entwurf etc.  
Parte II. p. 188. sq. I. C. C. RVDIGER  
Grundriss einer Geschichte der menschlichen  
Sprache etc. Leipzig, 1782. In colligendis  
latinæ linguae scriptoribus philologicis ne-  
mo fere diligentia superauit NOLTENIVM,  
in bibliotheca latinitatis restitutæ, quæ est  
in tomo posteriore lexici antibarbari edito  
a filio I. A. NOLTENIO Lips. 1768. 8.  
Addi possunt STOLLE Anleitung zur  
Hist. der Gelahrtheit Cap. II. FABRICII  
Abriss einer allgemeinen Historie der Ge-  
lehrsamkeit, Leipzig, 1752. Temo. I, p. 66. sq.

*Graphice*, neque haec tantum litterarum, ducendarum, sed ad regulas Grammatices, et eleganter ducendarum praecepta ponit. Quo fit, vt duae tantum, si recte iudicare velis, concedendae sint *Graphicæ* partes, *Orthographia* et *Calligraphia*. Reliquæ enim non nisi de compendiis scribendi, et artificiis quibusdam in scribendo adhibendis, præcipiunt. Videamus de singulis.

a) *Orthographia* in omnibus superstruēta est fundamentis grammaticis, eamque ob caussam a plerisque ipsa pars et dicitur et habetur Grammaticæ. Prima quidem scribendi lex esset, iisdam litteris vocem scribere quae inter pronunciandum re vera audiuntur. Ea vero lex neque promulganda est, neque potest perferri, cum ob dialectorum diuersitatem, tum, quod saepius reticentur in pronunciando litteræ, quas adesse iubet *Etymologia*, ne ipsius vocis origo in scribendo prorsus dissimuletur. Inuentæ igitur sunt regulæ, monente *Etymologia*, singulis linguis communes, quas qui recte scribere cupiunt, sequi solent, earumque complexus *Orthographia* dicitur, cuius vocari potest pars

*Stigmatologia*, quae docet punctorum et notarum, quae adhiberi solent  
ad

ad dignoscendas orationis partes, rationem et usum. Tales notae in lingua ebraica sunt accentus, in reliquis puncta, coma, semicolon, commata cet.

b) *Calligraphia* primo exponit de variis litterarum formis, cum vncialibus et maiusculis, tum minusculis et obliquis; deinde monstrat modum, quo quis felicissime facultatem litterarum scribendarum possit consequi, ita que tenendi rationem. Regulas denique ponit litterarum ita ducendarum, ut scriptura non solum lectu sit facillima, verum etiam nitida et elegans appearat. Reliqua addam, quae hoc referri solent, ne quid intactum relinquantur, cuius interesse aliquo pacto tironum possit.

c) Antequam enim inuenta esset ars typographica, manu scribenda erant eruditorum opera. Qui cum esset improbus et molestissimus labor: inuenti sunt characteres et notae, quae integras exprimerent voces et syllabas. Usus harum notarum docere munus est *Tachygraphiae*, artis hodie quidem ad usum fere inutilis, nisi forte praelectiones academicas calamo excipientibus. At vero historica compendiorum et notarum tachygraphicarum, quibus olim usi sunt scribentes, co-

gnitio, cum in codicibus antiquis et diplomatis saepius occurrant, utilissima est harum rerum scrutatoribus.

d) *Cryptographia*, quam et *Steganographiam* vocant, ars est scribendi, litterarum loco, signis notisque non nisi iis perspicuis, inter quos de significatione conuenit. Uſus artis est in bello praeципue, ut res secretae celari hostes, et communicari possint cum amicis sine periculo. Neque tamen hic uſus magnus est, inuenta arte decifratōria, quae explicandae scripturae arcanae rationes exhibet, de qua infra plura dicemus.\*)

### §. XVII.

\* ) *Orthographiam* docent Grammatici. Habant tamen latina lingua multos qui hanc Grammaticae seu potius Graphicae partem sigillatim docerent, quos imprimis recenset NOLTE NIUS. *Stigmatologiam* omnium optime docuit HEYNATZ in libello von der Interpunction Berlin 1773. *Calligraphicos* auctores quosdam, (nouissime scripsit IO. BERNH. FISCHER Lehrbuch teutsch und lateinischer Kalligraphie etc. Anspach 4. SINAPIVS Muster nebst Anleitung zur Schönschreibekunst, Hamb. 1781.) et *Tachygraphicos* inuenies apud FABRICIUM l. c. p. 247. *Cryptographiae* auctores vide apud WALCHIUM in Lexico phi-

## §. XVII.

II. Altera pars *Philologiae regulas* sifit *interpretandi*, eaque dicitur *Critica*, sensu non quidem latissimo, vt sit facultas iudicandi de rebus ad humanitatem pertinentibus; neque etiam strictissimo, vt sit ea quam *verbalem* dicunt, de qua paullo post dicemus; sed intermedia quaedam hoc loco valet notio, ex qua solida est, et amplior cognitio linguarum, earumque rerum, quae inseruiunt intelligentis et explicandis libris, aliisque monumentis, emortua imprimis lingua conscriptis, aut litteris saltem consignatis.

## §. XVIII.

Varium genus est monumentorum antiquorum quibuscum res est Criticae.

I) *Codices, et libri auctorum antiquorum.*

Hos

a) primum *emendare* conatur, si quid in iis corruptum et perperam scriptum esse videtur, eamque *Criticae* partem strictissimo sensu *Criticam verbalem* dixit consuetudo doctorum. Occupatur *Critici*, hoc sensu, labor in requierendis Codicibus manuscriptis auctorum

philosophico ed. 4ta Henningiana Lips. 1775.  
voce *Character.*

rum antiquorum, in censendis eorumdem aetate et pretio, in colligendis lectionibus variantibus, in eruenda conjectandaque vera auctoris antiqui sententia, et si id fieri potest, restituendis iisdem quibus usus est verbis. Utilissimus sane labor, nec, quod fieri subinde solet ab harum rerum expertibus, nihil floccique putandus, utpote cui, quod Homerum, Ciceronem, Plautum, Terentium, aliosque antiquae eruditionis magistros legere, nec haesitanter possimus, vel soli gratum acceptumque debemus.

b) Deinde sic emendata interpretatur, quod quidem *exegeticum* Criticae munus possis dicere. Iam cum quadripartita esse possit interpretandi ratio, *grammatica*, quae explicet verba; *historica* quae de rebus gestis exponat, quorum mentio sit apud auctores veteres; *aesthetica*, quae declarat dictioris et sententiarum veneres elegantiam et splendorem; *practica*, quae de veritate sententiarum earumque usu ferat iudicium: apparet, supellecibilem, et instrumenta critica non magis e Grammatica, quam ex omni Historia atque Philosophia esse repetenda. Tironum causa addo; *sacram dici Criticam*

*cam et in genere Philologiam, quae versatur in emendandis et interpretandis scriptoribus V. atque N. Testamenti; profanam, quae in reliquis\*)*

## S. XIX.

\*) Super arte critica scripsere IO. CLERI CVS, cuius Ars critica prodit Lipsiae 1713. Vol. 3. 8. Mrs. MORELL. Elements de Critique, ou recherches de différentes causes de l'alteration des textes latins, avec le moyen d'en rendre la lecture plus facile. a Paris 1766. 8. Ceterum litteraturam Criticæ, et criticorum merita cognoscere cunctos adeant eensores editionum auctorum veterum classicorum, in quibus eminent IO. ALBERTVS FABRICIVS cuius exstat Bibliotheca graeca Hamb. 1705---28. XIV. Vol. 4. (Palingenesian expectat dectissimum opus ab obstetricia manu viri ad hoc genus litterarum docti et assidui.) et Bibliotheca latina ex ed. IO. AVGUSTI ERNESTII Lips. 1773. 74. III. Vol. 8. T. C. HARLESIUS, cuius introductio in notitiam litteraturae romanae, in primis scriptorum latinorum, prodit Norimbergae 1781. II Vol. 8. Eiusdem auctoris exstant introductio in historiam linguae latinae, ed. altera Bremae 1773. liber parvo parabilis, et commendandas, et introductio in historiam linguae graecae Altenb. 1778. 8. I. Cph. SCHVLZ Biblioth. der griechischen Litteratur Gießen 1772. Zusätze dazu 1773. Egregii etiam libri sunt G. C. HAMBERGERI zuverlässige Nachrichten von den vornehmsten Schriftstellern vom Anfang der Welt bis

## §. XIX.

2) *Diplomata*. *Diplomata*, ait ERNESTIVS \*) o *πατρι*, propriè sunt chartae complicatae, vel *tabellae duplices*, vulgo *codicilli*; sed usus fecit, ut de tabellis dicerentur maxime, quae itineris (publico imprimis cursu) faciendo facultatem darent. Post translata sunt ad litteras principum, Pontificum et. sigillo sanctitas, imprimis, per quas aliquid iuris et beneficii daretur. Ad extremum de omnibus fere litteris publicis dici coepere, praesertim in arte, ut a Maffeo. Hoc loco media valet significatio. Multiplex et magnus est diplomatum usus, cum, quia sunt in fontibus et instrumentis historiae certae, iurisque publici, tum quod expli-

bis 1500 Lemgo 1756 -- 64. IIII. Vol. 8.  
Eiusd. kurze Nachrichten v. d. v. Schriftstellern vor dem 16ten Jahrhundert, in einem Auszuge aus seinem grössten Werk.  
Ibid. 1766. 67. II. Vol. 8, in quibus cum omnium auctorum veterum nomina, tum eorum qui in eosdem commentarii sunt, reperies. Euolue sis etiam Io. ANDR. FABRICII supra laudatum librum p. I. p. 257. NOLTENIVM, et MORHOFII notissimum Polyhistorem. De fontibus Philologiae sacrae litterariis infra dicemus.

\*) In Archaeologia p. 52.

explicari ex iis sermo antiquus et illustrari potest. Geographia, Chronologia, omnisque medii aeui antiquitas. Itaque dignissima erant, in quibus explicandis multum temporis atque studii, a CON-RINGIO, qui primus in artis formam redegit *Criticen diplomaticam*, ad nostra usque tempora eruditi consumerent. Munus igitur est *Criticae diplomaticae* docere primum recte legere diplomata, deinde recte intelligere, et spuria denique a genuinis discernere. Ut vero recte legantur et explicentur, opus etiam est, ut interpretari possis *sigilla*, quibus confirmata sunt, *nominumque ductus*. Hinc partes habet

- a) *Sphragisticam*, quae de interpretandis Sigillorum signis, et
- b) *Monogrammatologiam*, quae de monogrammatis h. c. nominum ductibus et compendiis exponit.

### §. XX.

3) *Numi*. Omne studium, quod versatur in explicandis numis *Numismatica* dicitur. Id vero studium triplex esse potest. Primum enim quaeri potest de origine numorum, materia antiqua, forma et valore. Haec quaestio mere est historica et pertinet ad *Archaeologiam*. *Archaeologiam numariam dicere possis*. Porro,

ro, cum antiqua numismata in monumentis artis sint pictoriae, linearis et architectonicae veteris: alia exinde oritur scientiae numismaticae pars, quam *aestheticam* dicerem. Vberrimus vero numerorum usus est tertio ex argumento et titulis, isque *philologicus* et *criticus*. Multum enim lucis affunditur exinde Historiae pariter atque Grammaticae. Indigent autem argumenta numerorum titulique interpretatione, quae cum *Criticae munus* sit: haec *Numismaticae scientiae pars*, quae interpretatione occupatur, recte potest vocari *Critica numaria*.

### §. XXI.

4) *Inscriptiones*. In monumentis artis antiquae, lapidibus, vasis, gemmis sculptis, statuis cet. reperiuntur subinde *inscriptiones*, quas interpretari studet criticus eundem in finem, eademque ratione, qua interpretatur numismata, dum interca artifex in monumentis ipsis artis requirit veteris vestigia, haud adeo de inscriptione sollicitus. Hanc *Criticae partem Epigraphicen* dixerunt, seu *Criticam lapidariam*.

### §. XXII.

5) *Hieroglypha*. Ita vocantur figurae eae quae cernuntur in antiquissimis Aegyptiorum

ptiorum monumentis, quas multi putant symbolicas esse, et continere veterum Aegyptiorum historiam et philosophiam, ad quas aditus foret, si explicari isthaec allegorica scriptura certa ratione posset. Fuere qui darent operam huic rei, sed non ita longe progressi sunt. Ego *Critiken Hieroglyphicam* in hoc ultimo loco disciplinarum philologicarum collocare nullus dubitabam, cum re vera litterarum loco sint hieroglypha, (si vera est, quam plerique virorum doctorum amplectuntur, sententia,) quorum sensus eruendus est \*).

## §. XXIII.

Arctius plerique has disciplinas, de quorum argumento his quatuor §. §. exposui, *Diplomaticam* certe et *Numismaticam*, cum

Histo-

\* ) Librorum ad rem diplomaticam, numismaticam, et Criticam lapidariam pertinentium satis largam offerunt, tironibus certe, copiam IO. AVG. ERNESTI in *Archaeologia Lipsi.* 1768. MERTENSIVS in l. c. parte II. DENIS *Einleitung in die Bücherkunde*, parte II. p. 412. 416. Idem nominat interpres aliquot hieroglyphorum p. 413. Videri etiam potest STOLLE Hist. der Gel. Cap. III. p. mihi 120. et GEORG WILH. ZAPF *Litteratur der alten und neuen Geschichte.* Leindo 1781.

C

Historia coniungunt, quam cum Philologia, eique dicunt esse *subsidiarias*. Fateor mihi non probari hanc rationem. Quid? nonne omnis Philologia est subsidiaria Historiae, et versa vice haec illi? Quid? nonne Diplomatica pariter inferuit et subsidio venit Iuri publico atque Historiae? Nihil igitur est, quod has disciplinas proprio et peculiari sensu *Historiae subsidiarias* velimus dicere, et ita quasi e patrio Philologiae solo, in quo natus esse argumentum testatur, expellere. Idem quodammodo valet de *Geographia*, *Genealogia* et *Chronologia*, ut infra demonstrabimus. Reuocauit igitur eas in patriam, nec vereor ne non sint probaturi meam viri docti sententiam, cum iam ante me alios, imprimis STOLLE, idem fecisse memorerim.

## §. XXIV.

Supereft, vt de *Philosophia Philologiae s. linguarum*, quippe quae prima *Philosophiae applicatae* pars est, dicamus. Licet enim infitias non eam, nullam esse posse veram et Grammaticam et Criticam sine Philosophia: multa tamen poni possunt super linguis quaestiones ad quas respondere non tam est Philologi, quam Philosophi. Talis est de *origine, natura, elementis, cultu* et *finibus linguarum* disputatio. Tales sunt *praecepta linguarum discendarum docendarumque communia*, seu *Methodologia philologica*.

Fuere

Fuere etiam, qui cum magno LEIBNITZIO  
in reperiundis primis omnium linguarum characteribus et notis communibus desudarent,  
conficiendae caussa Grammaticae vniuersalis philosophicae \*); sed parum felici successu.  
Ad has omnes quaestiones responsa ex imis Psychologiae penetralibus repetenda sunt.

## §. XXV.

Ad hanc quoque Philosophiam linguarum iure quodam suo referri potest *ars*, quam dicunt *decifratorm*, quae rationes explicandae scripturae arcanae continet, ut supra diximus. Opus enim est artem exercentibus, vt primo notas colligant et plurium linguarum, tum cum scribuntur communes, et singularum proprias, ex iisque hariolentur, qua tandem lingua auctor scripti arcani usus sit. Qua re cognita, de ipsis litterarum notis querant, quippe quae in lingua, qua scriptum videtur syngraphum, saepius, quae raro, quae conjunctae cum iisdem, et cum aliis, quae in calce capiteue vocabulorum soleant occurrere, e qui-

C 2 bus

\* ) Vid. G. KALMAR Praecepta grammatica, atque specimina linguae philosophicae s. vniuersalis. Sumtibus fautorum Berolini degentium 1772. 4. (Allg. deutsche Bibl. XXI. I. p. 211.)

36 CAP. II. SECT. II. DE PHILOGRIA.

bus omnibus denique regulas legendi interpretandique constituant. Quanto plures hoc modo notas expedierint, tanto facilius procedit labor. Ex his omnibus quae dicta sunt simul apparet, non posse prius aliquem de natura linguarum philosophari, quam easdem grammatice cognouerit, quod quidem secus est in quibusdam aliis disciplinis v. c. Iurisprudentia, cuius nulla datur solida et systematica cognitio, nisi ante lus naturae perspexeris. \*)

\*) Litteraturam Philosophiae linguarum cognoscere cupientibus satisfacit vel unus HISMANNVS, saepius laudatus, in der Anleitung zur Kenntniss der auserles. Litteratur in allen Theilen der Philosophie p. 180, sq. De Methodologia philologica vide imprimis IO. ANDR. FABRICII Abriss. einer Historie der Gelehrsamkeit p. 81, sq. vbi plerosque auctores citatos reperies. Litteraturam Philologiae, vti nunc est, vniuersam cognoscent tirones cum e Bibliotheca communis germanica Berolinensi, tum imprimis e Bibliotheca philologica, quae primum germanice deinde latine conscripta Göttingae edi copta est 1770 -- 79. e Bibliotheca critica, cuius secundi Voluminis prodiit particula prima Amstelodami, et ex EYRINGII litterarischem Almanach. Göttingen 1776. 8.

Orde



## Ordnung der Redner.

Johann Christian Rothmaler, aus Nosla, redet von der Vortrefflichkeit des Studiums der Natur, deutsch. Wahl des Thema und Ausführung sind ganz sein eigen.

Johann Christian Ehrenfried Buchmann, aus Stollberg, handelt in einer lateinischen, von ihm selbst ausgearbeiteten Rede, von dem Glück einer vernünftigen und zweckmäßigen Erziehung.

Albert Gerhard Becker, Christoph August Gottfried Ziegler, und Christian Friedrich Ziegler, insgesamt aus Quedlinburg, unterreden sich von ihrer Lecture.

Christoph Friedrich Krieg, aus Stollberg, handelt, in einer größtentheils von ihm selbst herrührenden, deutschen Rede von der Dankbarkeit.

Johann Heinrich Krieg, aus Stollberg, declamirt eine Hymne auf die Mode.

Fries



Friedrich Gottfried Buhli, aus Hei-  
mersleben, redet deutsch von der Lan-  
genweile.

Christoph Gerhard Wilhelm Ritter,  
Friedrich Christian Schwalbe, und  
Johann Friedrich Henneberg, ins-  
gesammt aus Quedlinburg, halten ein  
Gespräch von einigen bey der Jugend  
sehr gewöhnlichen Fehlern.

Carl Ludewig Gerhard, aus Walbeck,  
redet französisch von den Wundern Got-  
tes in der Natur.

Johann Carl Rasemann, aus Nieder-  
Böse im Thüringischen, redet, in ei-  
ner größtentheils von ihm selbst her-  
rührenden Rede, von der Zufriedens-  
heit.

Johann Friedrich Sachse, aus Qued-  
linburg, handelt deutsch von der Be-  
stimmung des Jünglings, und nimt  
Abschied. Die Rede ist gänzlich sein.

Einige dieser Jünglinge zeichnen sich  
durch vorzügliche Talente, alle durch Fleiß  
und Liebe zur Jugend und zu guten Sit-  
ten aus, so, daß es Pflicht und Vergnü-  
gen



gen für mich ist, ihnen ein öffentliches Lob zu ertheilen, und sie allen Jugendfreunden, und allen edeldenkenden Gönnern und Fördererern unserer Schulanstalten angelehnlichst zu empfehlen. Vorzüglich verdient diese Empfehlung der auf die Friedrichs-Universität abgehende Sachse. Er hat sich einen sehr guten Schatz von Kenntnissen gesammelt, und beständig den Ruhm eines liebenswürdigen Jünglings zu behaupten gesucht. Gott erhalte auch künftig sein Herz von allem Bösen rein, und walte über seiner academischen Laufbahn mit seiner segnenden Hand; dann wird er gewiß vereinst seinem alten Vater Freude, und seiner Vaterstadt Ehre machen.

---

GG  
DW

8 2/8 C & E  
8 1/2 C & E  
C 12 1/2 16 1/2  
verschieden nachmehr





95 A 5463





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



SYNOPSEOS

V N I V E R S A E  
E R V D I T I O N I S  
I N V S V M S C H O L A R V M  
C O N C I N N A N D A E

S P E C I M E N

*Postscript.*

O R A T I V N C V L I S E T D I A L O G I S  
I N I L L V S T R I G Y M N A S I O  
Q V E D L I N B V R G E N S I

A. D. VIII. M A I I C I O 10 C C L X X X I I I

H O R A II. P O M E R I D I A N A

H A B E N D I S

A V D I E N T I A M F A C T V R V S

S C R I P S I T

I O A N N E S H E N R I C V S F R I D E R I C V S  
M E I N E K E

I L L V S T R I S Q V E D L E I R E C T O R  
E T S O C I E T A T I N A T V R A E C V R I O S O R V M  
B E R O L I N E N S I H O N O R I S C A V S S A  
A D S C R I P T V S .

Q V E D L I N B V R G I

L I T T E R I S I. C. L E V I.

1783